

(1)

PRÆFAMEN.



Um accuratius miserrimam Ecclesie nostrae conditionem perponderamus, quanta in confusione rerum ac perturbatione illa versatur, amarulentissimis sanè atque ardentissimis deploranda ea est lachrymis. Cùm & eò proh dolor! *παισιμα* acerrimi veritatis impugnatoris res de-
venerit, ut illi, qui Adversariorum, hodiè magno numero prorumpentium, impetus, omni conatu summoq; studio repellere

allaborant, ab hominibus peste indifferentistica infectis, pro litigatoribus ac altercatoribus habeantur. Quam calamitatem prudenter animadvertens, Præceptor meus omni honoris cultu devenerandus, Magnif. D.D. *Fechtius*, in Apparatu suo verè aureo ad Epistolas *Marbach*. cap. VIII. pag. 279. 280. intolerabilem Indifferentistarum animum hisce depinxit coloribus, *Plurimos equidem non è secularibus tantùm, quorum his communis è penè desperatus est morbus, sed ex Ecclesiasticis quoq; hæc occupat opinio, non esse animal vel Reip. vel Ecclesia magis noxium, quàm Theologum Zelotam, id est, ut ipsi interpretantur, rixosum, pertinacem, jurgis è contentionibus deditum, ferendus turbis, tumultibus, seditionibus natum. Dignum hoc hominum genus esse, quod ad Garamantas usq; è populos natura impetu pugnaces, ut convellere concordiam pacemq; vel civilem vel sacram desinat, relegetur. Et ne fraus unicuiq; pateret, quibus ex fallaciis & mendaciis toti illi consent, fuco ac cerussâ utuntur, & sub moderationis nomine pestilentissimum virus occultare conantur, vociferantes, non statim eos ut hæterodoxos esse proclamandos, qui diversas à nobis foveant sententias; (Licet ex pestilentissimi sint errores) sed moderatione Theologica hoc esse ferendum. Quàm fictum verò pictumq; hoc sit effugium, detexit honorificentissimè modo appellatus Dn. D. *Fechtius* loco citato p. 298. & 299 ubi pro sua sententia allegat *Nicolaï Vedelij*, hominis Reformati, verba, ex Libro primo *de prudentia veteris Ecclesie* Cap. 4. In quo disquirit, quomodo intelligendum & quàm verè vulgò dicatur, Zelum prudentia temperatum esse debere.*

A

debere.